



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**SELECTA=||RVM DECLAMATIONVM || Philippi Melanthonis,  
quas con=||scripsit, & partim ipse in schola  
Vui=||tebergensi recitavit, partim alijs recitandas  
exhibuit.|| TOMVS ... ||**

**Melanchthon, Philipp**

**1559**

**VD16 M 3567**

Oratio de admirando Dei opere, quo testatur Deus se perpetuò Ecclesiam  
Christi in mundo co[n]seruare.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-34734**

ORATIO CASPARIS CRUCI-  
geri S. Theologiae Doctoris, de Ecclesia Christi,  
quam habuit 26. Aprilis, cum decerneret titu-  
lum Doctoratus D. Hieronymo Noppo,  
Et D. Fridericho Bachhofen, &c.  
Anno M. D. XLIII.



Voties ego hos honestissi-  
mos conuentus scholasticos  
aspicio, mirifica uoluptate  
adficior: Quid enim in hac  
uita homini, non prorsus  
alieno à pietate & literis,  
potest contingere iucundi-

Doctorum ui-  
rorum coetus  
iucundissimus.

us, quam uidere tales coetus uirorum præstanti-  
um doctrina, pietate, & uirtute: Quorum autho-  
ritate, officio, & diligentia, & sanctissimum mini-  
sterium Ecclesiae, & publicum consilium Reipu-  
blicae regitur, & literæ, ac bonæ artes omnes dei  
beneficio ornantur & prouehuntur?

Nec existimo quenquam uestrum esse, qui cum  
his congressibus interest, non recreetur conspe-  
ctu talium uirorum, qui uerè sunt, quod græce di-  
citur ἱερός κόνδος, id est, sacer coetus: Tantū abest,  
ut iudicem à quoquam reprehendi hos congressus,  
quos constat non ad inanem pompam, aut spe

G V Etaculi



Et aculi causa, sed grauiſſimis de cauſis, & inſtitu-  
 tutos eſſe, & à nobis retineri: Conſtat enim hoſ  
 ritus promotionum ſeu graduum, ut uocantur,  
 nihil aliud eſſe, quàm renunciationem publici te-  
 ſtimonij, de doctrina & moribus eorum, qui uo-  
 cantur ad aliquod publicum munus, ut uel in Ec-  
 cleſia doceant, uel in politica gubernatione re-  
 ſpondeant de publico iure, uel alia officia admini-  
 ſtrent, quæ ſunt neceſſaria ad tuendam commu-  
 nem uitam & ſocietatem hominum. Et in his con-  
 greſſibus de rebus grauiſſimis ad admonendam in-  
 uentutem, & excitanda ſtudia diſcentium, oratio  
 habetur.

*Eccleſia non  
 eſt ſine Scho-  
 lis poteſt.*

Quare ego quidem ſingulare Dei beneficium  
 eſſe agnoſco, ac Deo gratias ago, quòd nobis ſcho-  
 lam, & hoſ cœtus conſeruat: Nullum eſt enim in  
 terris maius Dei donum, quàm propagatio do-  
 ctrinae cœleſtis, quæ conſeruari non poteſt, niſi  
 ſint aliquae Scholæ adiunctæ Eccleſijs, ubi erudi-  
 antur hi, qui ſunt aliquando acceſſuri ad miniſte-  
 ria, aut gubernationem in Eccleſia, ut præparati  
 & exculiti doctrina, magis idonei fiant ad de-  
 xtrè tradendam doctrinam religionis, & ad ex-  
 plicandas controuerſias dogmatum, & ad reſu-  
 tandos errores ac corruptelas puræ doctrine.

Ad has res certè opus eſt Scholis, ſicut hiſto-  
 ria



via sacra testantur, inde usq; ab initio semper fu-  
 isse aliquos cœtus discipulorum adiunctos, summis  
 illis uiris, Patribus, Prophetis & Apostolis, &  
 postea diu in Ecclesijs, ut Alexandrina & alijs,  
 & in plurimis collegijs Scholæ constitutæ fue-  
 runt, ut inde sumerentur Doctores & Pastores  
 Ecclesiarum. Imò & Christus ideo dat Ecclesiæ  
 suæ, ut ait Apostolus, Pastores, Prophetas, & Do-  
 ctōres, quia uult ab his Ecclesiam institui ac doce-  
 ri, uult preparari eos, qui præficiendi sunt Ecce-  
 sijs, ne accedat prorsus indocti aut imperiti, Qui  
 cum nec alios audierint, & sint sine ullo usu spi-  
 rituali, tamen sibi uidentur autodidacti, & te-  
 mere sine testimonijs doctrinæ irruunt in Ecce-  
 sias, & ex sese gignunt ac spargunt opiniones &  
 dogmata.

Hæ sunt causæ, ut ego quidem iudico, satis gra-  
 ues & magnæ, quare in Ecclesijs & Scholis reti-  
 neri ac propagari necesse est. Primum quia hæ e-  
 tiam ad ministerium Ecclesiæ pertinent, uidelicet  
 ut in his instituantur hi, quibus gubernatio Ec-  
 clesiarum committenda est: Deinde, quia Scholæ  
 testimonium dant his, qui præficiuntur Ecclesijs.  
 Et ut constet à quibus Doctoribus acceperint do-  
 ctrinam, & ut ipsi testentur se non discedere à  
 perpetuo & uero consensu Catholice Ecclesiæ  
 Chri-

Causæ.

Chri-



Christi, nec assentiri prauis opinionibus.

Cum igitur Deus sua immensa misericordia nobis restituere Euangelij lucem, & in hac schola dederit gubernatores præstantes, merito prædicandum & agnoscendum est Dei beneficium, & gratie Deo agenda sunt: Et accedere debent piorum uota, ut nobis hoc beneficium conseruet, His precibus si unquam opus fuit Ecclesie, nunc certe opus est, ardentissimis uotis & toto pectore omnes petere, ut hoc postremo & periculosissimo tempore, inter tantas tempestates publicas, quæ minantur Ecclesie infinitam dissipationem & uastitatem, Deus sua bonitate aliquas Ecclesie reliquias conseruet, sicut Pauli nauim iactatam undis, concussam, ac penè iam fractam serauit.

Quis pius non toto corpore cohorrescat, cum intuetur horum temporum pericula? Videmus impendere Regnorum mutationem ac propemodum interitum uniuersæ Reipublicæ horribilè. Quàm latè grassatur, quantam uastationem facit Turcica immanitas, iam etiam nostris ceruicibus imminens? Ad hæc accedunt infestorum motuum metus, ut taceam alia pericula persecutionum, & acerbitatum omnis generis, quibus duriter concutitur Ecclesia. In his malis quid usquam ostenditur humanitus auxiliij? aut quæ tandem consolatio?

Pericula horum temporum.



tio nisi hæc una, tanquam extrema & sacra anchora salutis? Quod Deus tamen conseruaturus sit aliquam Ecclesiam, Sicut testantur promissiones, Ego uobiscum sum usq; ad consummationem seculi. Item, Non relinquam uos orphanos, &c.

Sed cum mihi mandato superiorum imposita sit necessitas hoc loco dicendi, nec liceat publicam authoritatem detrectare, Etsi undiq; Argumentum quero, tamen quocunq; me uerto, non possum animum & cogitationem abducere ab Ecclesia. Fortasse alia alijs temporibus congruunt. Sed hoc tempore nescio an quisquam pius mentem ac oculos à conspectu Ecclesie auertere possit. Cum igitur omnino aliquid etiam nunc dicendum sit, Patiamini quaeso me paulisper insistere huic ipso argumento, in quod initio orationis me cogitatio horum temporum induxit, ut aliquid dicam de hoc admirando Dei opere, quo testatur se perpetuo conseruare Ecclesiam in mundo.

Etsi uerò non ita extremè stupidus, aut perditè confidens sum, ut non sentiam me multum succumbere magnitudini suscepti oneris, nec deterrear imbecillitate mea, quam certè agnosco: Ac ipse maximè optaui de hoc ipso Argumenti genere audire sonantes uoces superiorum nostrorum, qui in diuturna gubernatione Ecclesie



clesie & ingentibus certaminibus uersati, & in-  
 telligunt pericula ecclesie, et magna ui ac robore  
 spiritus confirmare piorum mentes possunt. Sed  
 quia mihi omnino subeundum fuit hoc onus au-  
 toritate publici muneris, Vos oro, ut mihi ueni-  
 am detis pauca dicturo, quantum temporis angus-  
 tia patitur, non pro argumenti dignitate, sed ad  
 commonefaciendos & excitandos adolescentes,  
 ut & ipsi de Ecclesie periculis cogitare discant,  
 & uota ac preces cum ipsa coniungant, ut Deus  
 eam in his postremis certaminibus & periculis  
 conseruet. Plena est uniuersa scriptura exemplo  
 rum, quæ ostendunt solius Dei potentia mirabili  
 modo Ecclesiam gubernari et defendi: sed infini-  
 ti operis esset, totam historiam Ecclesie, inde us-  
 que ab initio conditi mundi uelle complecti, quæ  
 nihil aliud quàm stupenda miracula continet, in  
 quibus adparet, quantis ærumnis semper confi-  
 ctata sit Ecclesia. Et tamen in ijs mirandis modis  
 diuinitus seruata contra hostem filij Dei Diabo-  
 lum. Longè superat omnem humanam eloquenti-  
 am historia primorum parentum & Patrum, qui  
 secuti sunt usq; ad diluuium. Quanto in luctu &  
 mœrore uersati sunt Adam & Heua, cum acce-  
 pta promissione de Christo, et concepta certa spe  
 propagandæ Ecclesie, natis duobus filijs Cain  
 & Abel,

Mirabili poten-  
 tia Ecclesia de-  
 fenditur.

Exempla prime  
 ætatis ecclesie



Et Abel, subito uident sibi amplissimas spes præci-  
 di, necato altero filio, qui futurus erat uelut plan-  
 tarium ueræ Ecclesiæ, Cum aliter filius parricida  
 præclaras illas spes, quas de ipso pij parentes con-  
 ceperant, frustratus esset. Qui cum essent his mœ-  
 roribus, totum primæ ætatis centenarium con-  
 secti, cum nulla iam esset Ecclesiæ facies, nec pos-  
 set usquam propagari doctrina cœlestis: Quia  
 posteritas Cain paternam impietatem sectaba-  
 tur, et uideretur prorsus iam concidisse ecclesia,  
 tamen à Deo restituitur & seruetur, dato filio  
 Seth, per quem colligitur aliquis cœtus, in quo so-  
 nat uox cœlestis de futuro semine, & hinc propa-  
 gatur Ecclesia patrum usq; ad diluuium. Vbi rur-  
 sus miseranda est Ecclesiæ facies, Non solum  
 Cainica posteritas, sed etiam reliqua orta à Pa-  
 tribus, qui iam annos bis mille gubernarant Ec-  
 clesiam, deficit à uera pietate, et ita in arctum re-  
 digitur ecclesia, ut ex uniuersa reliqua multitu-  
 dine totius humani generis non nisi octo anime  
 seruentur. Postea horum etiam posteritas à ue-  
 ra religione relabatur in Idolatriam & impieta-  
 tem, & inter paucos ex Patribus seruetur Ec-  
 clesia. Et ex huius reliquijs Abraham reuocatur  
 ab errore & idolatria, ad instaurandam & pro-  
 pagandam doctrinam promissionum de Christo.

Seth.

Abrah.

Ex



Ex filijs Isaac ac nepotum peregrinationibus colliguntur deinde aliqui coetus, & doctrina propagatur etiam in Aegyptum.

Verè miranda sunt exempla non huius tantum primæ ætatis Ecclesiæ patrum, sed omnium temporum, quæ sunt perpetua quædã testimonia mirabilium operum Dei, hoc est, & ad afflictionum ac ærumnarum, & liberationum Ecclesiæ.

Liberatio populi  
Israelitici suspendenda.

Sed maxime omnium memorabilis est historia liberationis populi Israël & educationis ex Aegypto, & ut adparet omnium historiarum, omnium ætatum, à principio mundi usq; ad finem, excepta ipsa Christi passione & resurrectione, longè maxima. Non solum enim est imago Ecclesiæ omnium temporum, sed etiam præcipua pars, plena ingentium miraculorum, quæ & cæteris temporibus insignia exempla monstrat, quæ testantur, & seruari Ecclesiam ac regi à Deo sine præsidys humanis, & exerceri uarijs calamitatibus.

Quàm horrendum est in hoc coetu, qui gerit nomen Ecclesiæ Dei, qui habet tot & tam illustria testimonia diuinarum liberationum, tamen præcipuam partem populi, multos præstantes uiros, Principes & gubernatores horribilibus exemplis puniri, multitudinem toties plecti, donec propè



propemodum uniuersa perit eorum qui ingenti numero ex Aegypto exierant, Et tamen seruantur aliqua populi reliquia, quae manserunt incorruptae, & retinuerunt doctrinae puritatem, et ex parte sunt mirandas liberationes, sicut ordine Historia indicat.

Datum est Manna, datae carnes, percussa rupes uirga Moysi effudit largos fontes, Tecta est multitudo nubae interdiu et noctu flammis praesentibus, In praesentibus etiam exhibentur illustri testimonio praesentiae Dei. Denique in deserto maior fuit gloria huius populi, quam unquam florente regno in terra Canaan. Sed nimis longum esset huius totius historiae seriem uelle persequi. Ommissa igitur longiore recitatione, unum exemplum addam, in quo proponitur mirifica imago de gubernatione & conseruatione Ecclesiae diuinae.

Gloria populi  
in deserto maxima.

Vix est alia magis miranda reuelatio, quam quae Moysi facta scribitur, Exod. XXXIII. ubi uocatur Moses in colloquium cum Deo, Et eo loco dicitur, Loquebatur Deus cum Mose facie ad faciem (hoc est, coram et clara uoce) sicut solet loqui homo ad amicum suum. In hoc colloquio primum petit Moses, ut Deus ipse adsit gubernator & Dux huius populi, cui dedit uerbum et promissiones. Plus satis enim iam docuerant

Reuelatio facta  
Moysi miranda.

H ipsum



ipsum Exempla, quantum esset mali, populum  
deerrantem a uerbo, regi humana sapientia  
consilijs, cum populus daret poenas idolatrie, et  
Eto aureo uitulo, cum Moses abesset. Ex his ini-  
tjjs de futuris calamitatibus angitur Moses, Vi-  
det quanta pericula futura sint Ecclesiae Dei,  
quam leui momento pura doctrina et ueri cultus  
deprauentur humanis opinionibus. Quare me-  
tuit, ne & in hoc coetu extinguatur uera agnitio  
Dei, & collabesiat Ecclesia, praesertim cum au-  
diret horribiles comminationes de futuris poenis  
populi.

*Difficultas in  
gubernatione,*

Sic cogitans de Ecclesiae reliquijs, nec ipse in-  
uenit aliam consolationem, qua sese sustentet, nisi  
promissiones datas huic populo de uenturo libe-  
ratore Christo. Sed cum suam gubernationem in-  
tuetur, intelligit quanta sit difficultas, quanta  
pericula, & considerans nullam gubernationem  
foelicem esse sine Deo. Nisi tu ipse nos praecedas,  
inquit, ne educas nos de hoc loco. Deinde cum pe-  
tit, ostende mihi gloriam tuam, hic respondet  
Deus, Faciem meam uidere non poteris: Sed ecce  
locus apud me, ubi consistes innixus petrae, Cumq;  
transibit gloria mea, ponam te in foramine pe-  
trae, et protegam te dextra mea, donec transiero,  
& auferam manum meam, uidebis & posteriora  
mea,



mea, faciem autem meam uidere non poteris.

Hæc est uerè abstrusa et arcana historia, que  
 etsi à me quidem non potest explicari pro digni-  
 tate, nec hoc tempus patitur: Tamen attingere uo-  
 lui, ut adolescentes eam considerent, nam & do-  
 ctrinam grauisimam & gratissimam consolatio-  
 nem nobis proponit de Ecclesia, quam testatur in  
 hac uita tegi manu Dei, & postea glorificandam  
 esse. Sequor enim simplicem & usitatam exposi-  
 tionem, uidelicet, Mosén petere, ut Deus pramon-  
 stret exitus totius gubernationis huius populi,  
 qui tunc erat Ecclesia Dei.

Hic Deus respondet: Nolle se cerni faciem su-  
 am, hoc est, consilia ante finem consummate Ec-  
 clesie: Sed ostendi nobis posteriora, id est, Ad ex-  
 tremum in consumatione uisuros esse gloriam.  
 Interim latet populus in foramine seu cauerna pe-  
 træ, id est, in præsentí Ecclesia, que præmitur sub  
 iecta cruci. Sed innixa est Petræ Christo, & te-  
 gitur manu Dei, donec Deus transeat, hoc est, do-  
 nec Ecclesiam consumet. Significat enim Deus  
 se transire toto tempore mundi, & ita transcun-  
 tem colligere sibi aliquam Ecclesiam, in qua &  
 ipse glorificetur, et quam uicissim glorificaturus  
 sit in uita æterna. Et hanc gubernari non huma-  
 nis consilijs, sed uerbo Euangelij diuinitus

H ij tradito

Locus explicatus.  
 Exo. XXXIII.

Transitio Dei.



tradito de Christo, & seruari defensam non opus  
& praesidijs humanis, sed sua solius manu.

Pictura de illu-  
stri cognitione  
Dei.

Videtis proponi dulcissimam picturam, in qua  
etiam latet magis arcana doctrina de illustri cog-  
nitione Dei, qua cernitur facies Dei. Vt Philo-  
lippo petenti à Christo sibi ostendi Patrem, Res-  
pondet Christus: Philippe qui uidet me, uidet &  
Patrem. Ita Moses petens illustriorem inspectio-  
nem Dei, deducitur ad uerbum in Ecclesia reue-  
latum de Christo, & docetur, quomodo uelit deus  
agnosci in Ecclesia, usq; ad glorificationem, seu  
resurrectionem mortuorum, cum audit: Non pe-  
teris uidere faciem meam, sed stabis in forami-  
ne petrae, hoc est, insistens Christo seu Euange-  
lio, donec transeam, & sic uidebis posteriora  
mea.

Posteriora  
sunt uerbum  
Dei.

Ita Ecclesia nondum potest uidere Deum, seu  
habere gloriam, quae promissa est: Sed adhuc  
stans supra Petram, id est, Christum, fide, & in  
hoc foramine subiecta cruci expectat gloriam,  
donec Deus transierit, id est, totam Ecclesiam  
consummauerit. Post hunc transitum, restabit  
alia aeterna gloria, qua coram cernemus Deum,  
sed nunc tantum uidemus posteriora, hoc est, in  
uerbo eum agnoscimus.

Verum hanc obstrusorem interpretationem  
omitto:



omitto: Nam Historiam tantum considerandam proponere uolui adolescentibus, ut sciant pertinere hanc sententiam ad totam Ecclesiam omnibus temporibus. Et ut pij hinc petant consolationem, qua sese sustentent atq; confirment. Sciant seruari Ecclesiam, Deo mirabiliter protegente sua manu, in his mundi tempestatibus, Deo transeunte usq; ad eum diem, quo glorificanda est.

Vere & nunc uelut in deserto uagatur Ecclesia, exul & errans sine certa sede, sine humana defensione. Interim, ut in illo populo, magna multitudo deficit, & ruit in eternam iram, & eternas poenas. Videmus Reges & Principes, & maximam multitudinem hominum contemnere doctrinam Euangelij, & accersere sibi horribiles poenas & exitium: Et exiguum coetum esse profitentium eam doctrinam, orbaturum presidij, & confluentem uarijs ærumnis. Sed intueamur illas imagines propositas in historia populo Dei: Sciamus nunc quoq; duci Ecclesiam per desertum, & tegi nube & flammis cœlestibus, & adesse ducem Christum, ut illis adsuit.

Ecclesia uagatur in deserto, ducit Christo.

Quare confirmemus animos, & certò teneamus hanc sententiam, quòd Deus sit seruaturus Ecclesiam, quæ retinet doctrinam traditam à Christo, Prophetis & Apostolis: Sicut testatur

Ecclesia seruabitur.

H iij dul=



118 DE ECCLESIA CHRISTI.

dulcissima promissio apud Esaiam, cum inquit  
Deus: Hoc fœdus meum cum eis, Spiritus meus  
qui est in te, & uerba mea, quæ posui in ore tuo,  
non recedent de ore tuo, nec de ore seminis tui,  
Dicit Dominus, à modo & usq; in sempiternum.  
Sciamus igitur & nostris Ecclesijs adfuturum  
Christum, sedentem ad dextram Patris, et regnan-  
tem etiam inter medios hostes, & seruaturum ali-  
quas reliquias piarum Scholarum, etiamsi mun-  
dum oppriment pœnæ & calamitates.

Modo nos cogitemus de nostro officio, simus  
grati pro data luce Euangelij, retineamus con-  
fessionem puræ doctrinæ, nostris studijs, uita &  
moribus ornemus Ecclesiam, adiuuemus studia et  
Scholas. Interim etiamsi conflictandum est uarijs  
ærumnis, inuocemus hunc nostrum magnum Du-  
cem & liberatorem filium Dei, & una uoce pre-  
cemur, ut Deus Pater æternus misereatur Eccle-  
siæ suæ, & eam seruet propter illum ipsum  
Mediatorem & Pontificem nostrum Chri-  
stum, & tandem conterat Satanam  
aduersarium sub pedi-  
bus nostris.

Dixi.

Oratio